



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De bubulcis vel venatoribus, qui suas incantationes exercuerint. xviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De mulierculis, quæ infantes suos pro sanitate in fornacem aut supra tectum ponunt. Cap. XIII*

*Ex pœnitentiâ Bedæ presbyteri.* **M**ulier si qua filium suum ponit supra tectum, aut in fornacem pro sanitate febrii, unum annu[m] pœnitentia[m] agere. *Caput XV.*

*Ex decre. Martia. papa.* **N**on licet iniquas obseruationes agere Calendarum & ocis vacare, neque lauro, aut uiriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obseruatio paganorum est.

*De illis, qui Calendas Ianuarias ritu paganorum colere præsumunt. Cap. XVI.*

*Ex decre. Zachari. papa, ca. 11.* **S**i quis Calendas Ianuarias ritu paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut mensas cum lapidibus vel epulis in domibus suis præparare, & per vicos & plateas cantatores & choros ducere præsumperit, anathema sit.

*De eadem re. Caput XVII.*

*Ex conc. Rotoma.* **S**i quis in Calendis Ianuariis aliquid fecerit quod a paganis inuentum est, & dies obseruat & lunam, & menses, & horarum effectiua potentia aliquid sperat in melius aut in deterius verti, anathema sit.

*De bubulcis, vel venatoribus qui suas incantationes exercuerint. Cap. XVIII.*

*Ex eodẽ, cap. 4.* **P**erscrutandum si aliquis subulcus, vel bubulcus, siue venator, vel cæteri huiusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nescita ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in triuio proiciat, ut sua animalia liberet à peste, clade, & alterius perdat. Quæ omnia idololatriam nulli fideli dubium est: & ideo summopere sunt exterminanda.

*Quod non liceat mulierculas Christianas vanitates in suis lanificiis obseruare. Cap. XIX.*

*Ex cõcil. Bragga. cap. 10.* **N**on licet mulieres Christianas, vanitatem in lanificiis obseruare, sed Deum inuocent adiutores qui eis sapientiam texendi donauit.